

placuit abbati Marbodi opus, ut statim eum *frequentibus petitionibus*, ut ipse Marbodus loquitur, coegerit ad idem de secundo Geraldii libello præstandum, qui de beati Roberti virtutibus inscriptus erat. Abbatis desiderio satisfecit Marbodus tunc Andegavensis archidiaconus, qui postmodum Redonensis episcopus factus est, eidemque abbati libellum hunc singulari epistola, quæ operi præligitur, nuncupavit. At variant codices in hujus abbatis nomine designando, quem nempe alii Stephanum, alii vero Seguinum appellant. Erroris occasionem præbuit prima utriusque nominis littera S quæ cum in vetustioribus codicibus sola exstaret, ab his in Stephani, ab istis vero in Seguii nomen traducta est, quod uterque abbatis Casæ Dei munus vivente Marbodo obtinuerit. Verum si quis rem paulo accuratius investigare velit, facile reperiet Seguii nomen esse retinendum. Quamvis enim Stephani nomen plerique codices manuscripti exhibeant, vetustiores tamen indicant Seguinum, qualis est codex Sanctæ Mariæ de Brethio in Picardia, quem penes nos habemus. Idem haberi in veteri codice Sancti Cypriani Pictaviensis nos monuit noster Petrus Laurentii, qui nobis multas ad hanc Vitam observationes suppeditavit. Favet Bernardi (Casæ Dei scilicet monachi) testimonium. Is enim distinctione secunda libri Tripartiti diserte tradit Marbodum archidiaconum beati Roberti Vitam ad meliorem formam revocasse, ubi de visione Radulfi cujusdam loquens sic habet: *Hanc archidiaconus Andegavensis Magister Marbodus, postea Redonensis episcopus in secundo libro retulit, quem de miraculis scripsit beati Roberti.* Et quidem epistolæ nuncupatoriæ stylus episcopum abbati loquentem non sapit. Si vero Marbodus, adhuc archidiaconus, hanc Vitam scripsit, necessario inferendum est eam Seguii, non Stephano fuisse nuncupatam. Nam Stephanus an. 1108, abbas Casæ Dei electus est, duodecim scilicet annis, postquam Marbodus sedem Ithedonensem conscenderat. Is enim anno 1086 episcopus factus est.

Ita editores Actuum supra laudatorum de hac Vita S. Roberti a Marbodo concinnata, qui et plures alias a variis auctoribus ibidem asserunt fuisse compositas, quo brevitatis gratia lectorem id expendere studiosius cupientem remittimus. Ibi autem pag. 184 erudite omnino discutunt quo anno sanctus Robertus obierit, quem annum Christi millesimum sexagesimum septimum fuisse invictis probant argumentis, quæ hic transcribere lectori forte lædium peperisset.

VITA SANCTI ROBERTI

ABBATIS CASÆ DEI,

AUCTORE MARBADO EPISCOPO REDONENSI.

PROLOGUS AUCTORIS.

1433-1434 1. Vitam beati Roberti quam ex A discipulis ejus quidam (72), veraci quidem, ut credimus, sed difficili ac prolixo stylo narravit, simplici et brevi oratione, juvante Deo, tentabimus explicare; quatenus et brevis narratio lædium pellat, et simplex elocutio facilem intellectum admittat. Non quod illius scriptoris ingenio aliquid derogemus, sed quia illorum, qui nobis hoc imponunt negotii, religioni et auctoritati plurimum prærogamus, quos quidem ad hoc jubendum ratio videtur traxisse. Nam cum Gesta sanctorum ob hoc litteris mandentur, ut omnium legentium, vel audientium ad imitandum accendatur intentio, curandum est summopere scriptori ut, in quantum fieri potest, nullius excedat capacitatem, quod ad omnium spectat utilitatem. Alioquin totum negotium debito sine frustratur, si quos ad audiendum gratia rerum invitat, odiosa litteræ difficultas excludat; aut quos littera utunque admittit, supervacua prolongatio languidos reddat. Quapropter nec inusitatis aut peregrinis dictionibus operam dari, nec diversis explicationibus convenit lectionem extendi. Neque enim timendum est, ne paupertas orationis divitias rerum exhauriat, cum potius sit sperandum linguæ pau-

peris indigentiam rerum largitate ditandam in tam scilicet honesto genere causæ, ubi si omne velamen auferatur materiæ, dignitas se tuetur.

2. Lectoris igitur benevolentiam et attentionem pariter invitamus, tanto videlicet majorem adepturi mercedem, quanto pluribus, Deo cooperante labor noster placuerit. Proderit enim quibus placebit, sed et nobis valde placebit quod proderit; sique labor noster fiet alieni causa profectus, et alienus profectus nostræ causa mercedis. Nos autem curabimus pro viribus omnino ut placeat brevitati, ut diximus, operam dando, non qua necessaria defraudemus, sed qua superflua rescindamus; dando etiam operam lenitati, non qua materiæ dignitas minuatur, sed qua facultas intelligentiæ conferatur. Quod si etiam parum accurata legentibus displicebit oratio, placeat saltem prompta scribentis devotio; placeat veritas relationis, placeat recens memoria sanctitatis. Nam licet in quocumque tempore bene gestorum fidelibus sit grata recordatio, vehementius tamen afficit auditorem, quod velut sub oculis positum, præbens probatio suspitione falsitatis absolvit. Nunc quoniam de his satis est, ad narrationem veniamus.

(72) Scilicet Geraldus et Venna, monachus Casæ Dei.

INCIPIIT VITÆ LIBER PRIMUS.

3. Robertus genere Arvernus, conditione liber, natus est de parentibus Christianis, matre Raingardo, patre Geraldo, qui, ut creditur, a beati Geraldi Aureliacensis stirpe priscam duxit originem. Hunc a prima infantia Dei servum futurum signis quibusdam ostensum est, quæ 1435 non absurdum videtur inserere locutioni. Nam mater ejus ipso gravida, cum, imminente partus tempore, ad quoddam castrum tenderet, non sine Dei nutu, urgente necessitate, in solitudine partum effudit. Nimirum solitudinis erat futurus amator, et vitam hanc in qua nascebatur, viam reputaturus, non patriam. Delatus est inde cum matre ad castrum, et sicut fieri solet, cuidam mulieri traditus ad lactandum. Quem cum illa mamma admovisset, gustare noluit, non iam lactis detestatus odorem, quam peccati lactantis [Boll. latentis] horrorem. Patuit hoc continuo, cum et matris ubera libens suxit, et priorem illam tentandi causa adhibitus, rursum despexit. Mulier enim illa meretrix erat, et ob hoc infans, cum lac respueret, damnabat peccatum; nesciebat utique quid damnaret, sed Dei virtus etiam in nescientibus operatur.
4. Crevit igitur cum infante divina miseratio, et cum puer factus esset, traditus est disciplinæ apud vicum Brivatem in ecclesia martyris Juliani, ubi et clericus factus et deputatus est inter canonicos: procedente postea tempore, per ordines ecclesiasticos ad presbyteratum usque pervenit. Pueritiæ tempora sic peregit, ut ab his malis, quibus tenera ætas vel proprio vitio, vel alieno plerumque imbuitur, illæsus evaderet; cum potius inter initia [al. vitia] statim meditatus innocentiam, purum vas pectoris recenti sapore virtutum infecit, ut a Deo præventus in benedictionibus dulcedinis, amaritudinem vitiorum nullam posset admittere. Jam tunc fide plenus æternorum, temporalia cuncta despiciens, spem suam in Domino totam locaverat, eumque, licet parvus, non parvo diligebat affectu. Nam in ecclesia totis sepe noctibus cum lacrymis excubebat, mirantibus qui cum taliter reperiebant, utpote ab ipsis custodibus ignoratum. Orabat frequentius et legebat, ut in altero sibi Deum, in altero se Deo commodaret. Humilitatem sectabatur et obedientiam, quibus sic hominibus occurrebat, ut Dei offensam non incurreret. Pauperes et afflictos misericordiæ prosequabatur visceribus, quibus poterat opem, omnibus exhibens compassionem. Ulceribus plena corpora languidorum, abhorrentibus cæteris, non semel manibus contrectavit, manus lavit, exteriorem immunditiam æquanimiter tolerans, cum interiora lucra potius cogitaret. Unde et creditum est manuum ejus pio attractu fugalam sæpægritudinem.
5. Talem pueritiam secuta est melior adolescentia, cum et rerum et virium incrementis ad Dei servitium uteretur. Nam, quod multis contingere solet, in illius ætate 1436 fervente confusio, ut, pulsante mentem novæ suggestionis vento, blanda naufragia pudoris patiantur, hoc ille providus anticipaverat, combibebatque jamdudum castitatis amorem, ut pectus virtutibus incoctum, nulla saltem turpis posset vexare cogitatio. Addebat ergo virtutes virtutibus, ædificabatque indesinenter turrem, cujus in pueritia jecerat fundamenta. Crescebant arbores, quas in corde plantaverat, et in vitam fructificabant æternam. Manifestior in dies divina gratia refulgebat in illo, etiam non pauci ad bene vivendum ejus incitabantur verbo pariter et exemplo. Jejunabat propensius et orabat, et quantum posset, larga manu distribuere pauperibus. Nam et domum eleemosynariam construxit in vico, ut in ea velut sanctitatis palæstra pauperibus ministrans excerceretur assidue. Certum est illum, cum omnia pauperibus erogasset, in usus eorum sæpæ chlamydem vel pallium adjecisse; Christum plane in pauperibus attendebat, et suam parvipendens, illius festinabat tegere nuditatem. Sic quondam Martinus chlamydem suam partitus cum paupere, eadem veste Christum meruit videre conlectum; et licet istum non audeam conferre Martino, rem tamen rei non metuam comparare.
6. Interea sacerdotio strenue fungebatur, statutis horis assistens in ecclesia, offerens Deo frequenter hostias pro salute populi Christiani, quem totum velut unum hominem amplo charitatis sinu gestabat. Invitabat peccatores ad pœnitentiam, nunc pœnarum terrorem incutiens, nunc proponens gaudia præmiorum; docens nulli de venia desperandum, qui digne conversus ingemuerit. Promittebat insuper orationum suffragia, ac per hoc non paucos assidue lucrabatur Deo. Sed et cum voce taceret, vita loquebatur, quamvis cum voce loqueretur, vitam taceret. Nam cum bene vivendi formam ostenderet in seipso, seipsum nullatenus ostendebat. Morum gravitatem præferbat in vultu, modestiam mentis incessu et habitu fatabatur. Affabilem se omnibus exhibebat, cum tamen singulis pro conditionis, vel ætatis, vel etiam morum diversitate proprium præsentaret affectum. Ille siquidem discre-

lione vir prudens, omnium providebat salutem, ut quasi vicinius et familiaris omnibus persuaderet, cum singulorum in se transformasset personas. Denique cum omnes vitæ merito præveniret, omnibus se credi volebat inferiorem. Inter hæc contemplationis amore flagrabat, ut qui semper bonis meliora, melioribus optima vellet adungere. Gustaverat velut in transitu quam suavis est Dominus, et lotis medullis 1437 cordis, desiderabat vacare soli Deo, ut quasi prælibatam dulcedinem pleno gutture mentis hauriret.

7. Destinavit igitur mutare locum, et relictis omnibus Christum sequi; elegerat Cluniacense cœnobium, religionis ac disciplinæ loci fama commotus. Adhibito itaque sibi uno tantum itineris, non consilii socio, inopinatus iter arripuit, metuens quod et accidit, ne, si manifestus fieret, detineretur a cœptis. Quis enim omnium tali vellet carere patrono, qui tam multorum peresse necessitatibus occurrisset? Oculus erat cæcus, pes claudus, vestimentum nudis, cibus jejunis, pupillis et viduis vir et pater, apertio clausis, lectum peregrinis, ægris medicina, mortuis sepultura. Comperto ergo quod latenter discederet, mirata enim familia proficiscentis domini solitudinem ac taciturnitatem, rem post paulo divulgaverat, properare omnes, velut pro salute publica solliciti, profugum insequuntur, tenent, reducunt. Erubuit vir sanctus, et propositum suum non magis impeditum quam manifestatum dolens, ex mentis ægritudine morbum incurrit. Unde cum cœpisset convalescere, intelligens se Dei voluntate a loco quo intenderat revocatum, quia forte alibi plus posset proficere, tentavit ei vel inter suos implere posset optatum. Sed cum domesticorum nemo salutaribus monitis præberet et assensum, irrevocabiliter urgens propositum, profectus est Romam, ut apostolorum intercessio a Deo sibi quod desiderabat consilium impetraret. Quod autem desiderabat, hoc erat, ut ab hominum frequentia remotus ædificare posset in solitudine monasterium, ubi sub religionis habitu canonicam vitam cum duobus vel tribus duceret soli Deo professus. Reversus Roma, postulata in fide nihil hæsitans expectabat: dilatus est aliquantum, credo, ut dilatione cresceret desiderium.

8. Interea miles quidam, Deo inspirante, compunctus, ad virum Dei consilium petiturus accessit; qualiter peccatorum suorum magnitudinem, quorum conscientia torquebatur, digna posset satisfactione delare, nihil esse dicens tam arduum, quod propter Dei recuperandam gratiam non subiret. Accepit a sancto ut relictis omnibus ad Christi militiam se transferret. Cui cum ille respondisset id quidem se facturum, se fieri posset cum ipso, libentissime, intellexit vir Deo plus hunc sibi socium ac voluntatis ministrum divinitus destinatum. Gavisus ergo non parum, totum desiderii sui secretum aperit, socium se pollicetur, pactum firmat, hominem lætum dimittit, dans illi negotium ut locum huic

proposito congruum 1438 quæreret, et tertium sibi socium, si possit, adsciscat. Dicat loci congruentiam, ecclesiam scilicet aliquam in eremo, desertam licet ac dirutam, tamen parochialem, ubi de labore manuum, vel herbarum radicibus victus qualiscunque posset acquiri; parochialem, ut credo, ne si novum in alieno collocarent oratorium, veteribus locis inferre viderentur injuriam: nec enim quod supernæ tantum causa mercedis arripere disponebant, alicujus terrenæ cupiditatis saltem umbra decebat fuscari. Miles itaque fide jam plenus et constantia, ut cœptum suum Dei clementia prosperaret, ad memoriam beatæ Virginis Anicium ire decrevit, sciens nihil sibi ad impetrandum efficacius, quam si matris apud filium patrocinio uteretur. Quod dum properaret, ecce in via, Dei nutu, paratum invenit quod patebat, ecclesiam scilicet veterem, vasta cinctam solitudine, votis suis in omnibus respondentem. Exauditum erat ante preces pium ejus desiderium, et per sancti merita, petitionem ministri præcurrebat effectus. Tendit autem ille quo cœperat, ut loco precum grates persolveret. Addit et preces, ut Dei misericordia quod in eis cœperat consummaret. Reversus ad magistrum, nuntiat quod ferebat, exponit loci solitudinem, et cæteras ad arcte vivendum opportunas inopportunitates. Congratulatus vir Dei, gratias egit, et ad cætera strenue prosequenda diligentiam fratris hortatur.

9. Deerat votis unum, ut tertium tanti propositi socium invenirent. Nam et inter duos tertius solet esse quasi vinculum charitatis, et sub hoc numero unanimes trino et uni Deo videbantur convenientius servituri. Accessit brevi quod deerat, divina gratia militis industriam prosequente: nam, dum ille reversus ad suos, de acquirendo, sicut dictum est, socio cogitaret, nec dissimilaret vultu mutatæ mentis habitudinem, requisitus a quodam familiari suo milite cur præter solitum cogitabundus appareret: Dicerem, inquit, si te scirem commissa fideliter servaturam. Dat ille continuo fidem quæ petebatur, auditque per ordinem quod petebat. Concipit inter audiendum virtutis amorem, et contubernalis sui provocatus exemplo, ad aggrediendum tantæ perfectionis propositum vehementer accenditur. Rogat prostremo precibus submissis, ut viro Dei se peccatorem insinuet, nec tantæ laudis consortio judicetur indignus. Offerit se non socium, sed ministrum, et nunquam se ab hujus professionis teore desiturum sub fidei sponsione promittit. Sic prior miles sequentem lucratus lætus cum socio revertitur ad magistrum. Gaudet ille de spiritali 1439 proventu, et fructus seminum quæ jecerat precibus Deo commendans, divinæ militiæ tirones alloquitur: « Congratulor, o filii, vestræ promptæ devotioni: et propriæ infirmitatis conscius, in via Dei, quam ipse arctam et nimis arduam asserit, socios vos ac sustentatores habere desidero. Sed timendum nobis valde intelligo, ne temere nos laboriosissimæ militiæ astringamus, dum sola præmia cogitamus. Non

enim incipere bonum, sed consummare laudabile est, non laudatur ceptum bonum, sed perseverantia; propterea [al. prætereo] quod illud quandoque per impetum, istud per virtutem semper contingit. Ad hæc non proponere summa, tolerabile est propter humanam fragilitatem; cadere autem a proposito, damnabile propter diabolicam transgressionem. Videte ergo diligenter, et iterum etque iterum vobiscum versate ne, dum tenditis ad cumulum perfectionis, fiat vobis causa, quod absit! majoris damnationis. Proponite menti, dum licet omnia commoda, quibus carere disponitis; et e diverso multas et magnas injurias, quibus mundo validentes traditis vosmetipsos; famem, sitim, algorem, nuditatem, vigilias, laborem, abjectionem, contumelias, postremo quidquid homines fugiunt, vos sequimini: cavete ne, dum ista sequentur, vos fugiatis. » Dicebat talia, non quod eos a ceptis sularibus deterreret, sed ut contra ventura quælibet præmuniret, ac per hæc redderet ad tolerandum robustos, quos nulla tentationis varietas offenderet imparatos.

10. At illi nihil moti a proposito, imo sancti viri sermonibus modo magis animati, nullis se frangendos adversitatibus, nulla voluptatum recordatione vacillaturos, Christo juvante, promittunt. Sufficere sibi, quod satis experti essent peccati vias difficiles, et se lassatos intelligerent sine causa; velle deinceps militare Christo, cui serviri non potest sine mercede, cum hoc ipsum non servire peccato magna sit merces. Præterea Deum infirmitati et ignorantie sue penitus providisse aiebant, qui talem sibi dedisset magistrum, cujus et verbo doceri, et exemplo possent firmari: nam et insinuare faciendâ, et facere noxerat insinuata, quapropter se illi adhæsurus, ac devote famulaturus in omnibus. Ad hæc vir sanctus totum Deo arrogans, nihil sibi: « Potens est, inquit, Deus stabilire nutantes, instruere nescientes. Neque timendus est in aliquo contrariæ potestatis incursum his, quos summa potestas protexerit. Protegit autem sibi vos procul dubio servientes, qui non servientes ad hoc protegere solet ut sibi serviant. Quapropter si adherere Deo firmiter decreveritis, **1440** habetis me vel comitem, vel ministrum. utinam tam necessarium, quam devotum. Cavete autem humanæ mentis inconstantiam, et adhuc, nisi molestum est, ad euntes Ecclesiam, interventu beati **D** martyris Juliani, Deum, ut nobis utiliora provideat, implorate. » Ingrediuntur Ecclesiam, orat prostrati, redeunt firmiores.

11. Exploraverat satis eorum fidem, tempus jam venerat demigrandi: hoc tantum restabat ut locus sibi a Deo concessus etiam a terrenis dominis traderetur. Assumpto ergo aliter e duobus Anicium tendit, ubi morabantur duo germani nobiles, ambo canonici alter etiam abbas; alteri Arbertus, alteri [Cod. 1.] Rostagnus nomen: abbatis Arbertus ipsius beati viri discipulus ac monachus postea fuit. Apud hos quod voluit facile impetravit, quos pro vicini-

tate locorum fama sanctitatis ejus latere non poterat. Omnibus igitur ad votum paratis, die constituta eremum petiit cum duobus discipulis, quorum prior Stephanus, sequens Dalmatius vocabatur. Inveniunt spinas et vepres, horrorem simul ac solitudinem, postremo locum bonis omnibus indigentem, nisi quod eis bonum erat bonis omnibus indigere. Nam quanto longe fierent ab hominibus, tanto se Deo propinquiores credebant; et quanto pluribus indigerent temporalibus, tanto plura recepturos æterna. Auxit loci difficultates etiam vicinorum improbitas, qui morum immanitate feris consimiles, servos Dei, quos sustentare deberent, conviciis urgebant ac minis, insanos etiam judicantes, qui locum sterilem, quem vel si copias attulissent, non essent passuri, nihil habentes cœpissent incolere, eis quas poterant molestias inferebant. Nimirum qui contra diabolum certamen inierant, jam nunc impugnabantur ab ejus membris. Quantas ibi molestias senserint ac pertulerint tacendo magis putamus exprimi, quam loquendo: nam plerumque tatum innuit taniturnitas, cum vix partem absolvat loquacitas. Sed resistebant adversitatibus patiendo et vincebant impugnantibus non repugnando. Mentis duorum roborabat tertius, velut tirones in acie veteranus, docens, si primos hostis impetus superassent, sequentes multo superaturos facilius: nam quantus victo metus accrescit, tanta victori fiducia adaugetur. Igitur eos non solum in præsentem reddebat viciores, sed ad futura quoque certamina promptiores. Quod si postea vehementior incubuisset tentatio, jam turpissimum asse-
C reat, si cederent in congressu secundo qui superassent in primo, quos scilicet experta fecisset et pugna doctiores, et victoria fortiores. Hoc modo vir spiritualium peritus **1441** armorum, rudes ac defecturos commilitonum animos confirmabat. Et ita velut quodam artificio propagabat in eis laboris patientiam, utens spe sequentium victoriarum ad conficiendas priores pugnas, et recordatione confectarum pugnarum ad acquirendas sequentes victorias. Sed et de sacris eos auctoritatibus instruebat, ut magis eligerent ad modicum affligi cum populo Dei quam temporalem habere peccati jucunditatem, cum hanc partem sequatur æterna damnatio, illam sempiterna felicitas. Quapropter aspicerent in remunerationem, « aspicerent in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta (Hebr. xii, 2). » His et aliis talibus fatigatos quandoque sociorum animos reparabat, sum se nec laboris communitas, nec fraterne sollicitudinis proprietas fatigaret; brevi-
D que post tempore tam constantes reddidit et perfectos, ut non solum quascunque molestias gaudentes sufferrent, sed etiam pro persequentibus exorarent.

12. Facta ergo juxta ecclesiam cellula, credo, de ramis ac frondibus, partiuntur inter se domesticam curam, ut illi manibus operarentur ad victum, ipse lectioni et orationi incumberet. Laborant illi ma-

nibus operando, laborabat et iste sæpe genufle- A
ctendo. Illis exercitatio operis eliciebat sudorem; hunc corporis compunctio lacrymis perfundebat. Illo-
rum fatigationem pausatio, istius lassitudinem lac-
tio recreabat. Proderat omnibus quod singuli;
plus tamen duobus quod tertius laborabat: nam et
Deum illis insinuabat per lectionis doctrinam, et
illos Deo per orationis instantiam. Ita cum semina-
ret eis sua spiritalia, non erat tam magnum si me-
teret eorum carnalia. In oratorio quod utcumque
refecerant, certis horis, et nocte, et interdum com-
munes preces fundebant, cibum parcum et aridum
cum gratiarum actione una sumebant, cujus pars
maxima pauperibus et peregrinis, si qui forte di-
vertissent ad locum, reservabatur. Mos illis erat,
si quid haberent, omni petenti tribuere; et sic so- B
cios instituerat vir beatus, ut incunctanter vel totum
darent, non cogitantes de crastino.

13. Quadam die, profectis ad laborem fratribus,
cum solus in ecclesia substitisset, ubi mos illi erat
quotidianas et continuas lacrymas cum precibus
immolare, audit vocem petentis eleemosynam. Sur-
git festinus, ingreditur cellulam, dat totum quod
reperit. Totum illud erat pars panis quæ superfue-
rat hesternæ cenæ, sumentura tamen iterum tribus
ad mensam, quorum scilicet refectio parum distaret
ab inedia. 1442 Reversis ab opere cibus defuit:
quod cum moleste tulisset Dalmatius, cito vir sanctus
querelam compescuit, verbis Christi prolatis
in medium: Nolite, inquit, solliciti esse animæ
vestræ, dicentes: Quid manducabimus, aut quid
bibemus? Scit enim Pater vester quia his indi- C
getis (Matth. vi, 31). » Quam sententiam sequens
e vestigio confirmavit eventus, non sine miraculo
dubitantis fratris imperfectione notata. Abbas Ar-
bertus qui, ut superius dictum est, locum illum
illis habendum concesserat, non ignorans affligi
sterilitate solitudinis sanctorum voluntariam pau-
pertatem, tres eis mittebat clitellarios panibus on-
eratos ac vino. Duos ergo missi beato viro præsen-
tant; tertium in via, more quodam insolito, nun-
tiant defectissæ. Nam neque viribus fuisse cæteris
inferiorem, neque ul'a prius defectiois dedisse
vestigia. Ad hæc vir sanctus gratias egit; et ut erat
semper simplicis ac promptæ ad ædificantes facun-
diæ, vultu hilari conversus ad fratres: « Discat, in-
quit, dilectus noster Dalmatius in fide Christi nihil D
amplius hæsitare, quando et nobis fiducia nostra
præsenti mercede respondit, et se videt pro mur-
mure, parva quidem, sed manifesta et sufficienti ad
correctionem pœna multatum: nam partem illam
suam esse noverit, quæ remansit: non est ablata,
sed dilata, ut et fidem sibi non dubitet, quæ defe-
cerat, restaurandam. » O quanta est virtus fidei,
cujus defectum sentiunt et jumenta!

14. His et talibus frequenter utens sermonibus,
non solum socios instruebat, sed et incolarum
mitigabat pristinam feritatem, paulatimque eos
brutis moribus exuens, tanquam de feris homines

faciebat, majori certe miraculo, quam si, ut apud
fabulas invenitur, humana corpora tranemutaret in
feras. Erigebat eorum mentis oculos ad agnoscen-
dum omnium Creatorem, et quod præter ipsum
nulla sit animarum quies, enumeratis mundanæ
vitæ laboribus ac periculis, facile convincebat. In
factum est ut nonnulli cingulum militiæ deponentes,
et sancto ejus adhærentes contubernio, Christi se
servitio ibidem in perpetuum manciparent. Sed et
de clericali ordine quidam ejus magisterio edocti,
vitam solitariam et egenam domesticis deliciis præ-
tulerunt. Crescente igitur numero discipulorum,
crevit et religionis observantia, quam non tantum
extorquebat censuræ districtio, quantum offerebat
perfectio charitatis. Nam præter illa quæ omnibus
erant instituta communiter, aliquid singuli supere-
rogabant ex proprio, eratque in illo pauperculo
Christi grege spectabile sanctitatis commercium,
cum suis adderet [at. adhiberet] 1443 quisque
virtutibus quidquid in altero vidisset imitabile.
Cumque nihil habentibus pro Christo paupertas ipsa
sufficeret, sola eos vexabat insufficientia sanctitatis.
Nam quod apud avaros efficere solet inhonestus
amor pecuniæ, ut acquisita quælibet parvipendant,
dum solis inhiant acquirendis; hoc in illis opera-
batur honestissimus justitiæ amor, et inexplebilis
quædam, si dici liceat, religionis avaritia. Hanc
eorum intentionem præcedebat tam magnæ perfe-
ctionis signifer ac magister, qui retroacta oblivis-
cens, et in anteriora semetipsum extendens, more
Apostoli sequebatur ad destinatum, donec compre-
henderet, et ejus exemplo discipulorum fulciebatur
sequacitas.

15. Hujus ergo tam sanctæ conversationis opinio
in Dei laudem longe lateque finitimos excitabat.
Accessit ad vitæ meritum tanta miraculorum poten-
tia, ut jam illis in locis nullus ambigeret virum
sanctum plane a Deo meruisse gratiam curatio-
num, quam sic ille pro humilitatis custodia fideliter
petentibus ministrabat, ut divina beneficia non
suis, sed sanctorum martyrum, Agricolæ scilicet
et Vitalis, in quorum serviebat Ecclesia, meritis
imputaret. Sed et ejus merita demones non tace-
bant, cum ab obsessis corporibus ejus imperio pel-
lerentur. Mulierem dæmoniacam, cujusdam rustici
uxorem, amicorum fides ad eum curandam adduxe-
rat. Quæ in ecclesiam, ubi sanctus orabat, vix in-
troducta, retinente qui eam possederat inimico,
ore terrisono cœpit in eum minas et convicia jacu-
lari: « Rotberte, inquit, Rotberte de Casa Dei,
quid a nostris sedibus advenio nos tentas extru-
dere? Nos te potius cum tuis brevi perturbabimus,
intolerabiles quas hic patiæ molestias incendio
cumulantes. Ne tibi proderant collegæ tui Agricola
Bononiensis, Symphorianus Eduensis, Marcellus
Diensis, Privatus Mimatensis, Julianus Brivatensis,
quos tibi paras ad nos impugnandos adjungere. »
Videbat diabolus hæc futura, scilicet locum ibi fun-
dandum, qui Casa Dei novo nomine vocaretur, san-

ctorum reliquias, quorum nomina recensebat, illuc inferendas; et cum futura bona vaticinaretur invitus, saltem non profutura, quod vellet, mentiebatur. Hoc solum de futuris libens prædixit, quod locus esset conflaturus incendio; sed et in hoc plus profuit prædicendo, quam postea nocuit inferendo. Prædicendo sanctorum patientiam præmunivit, inferendo probavit. Interea mulier saltu et discursibus per ecclesiam debacchata, repentino impetu convertitur ad altare, tanquam manum sacris spoliis injectura. Vir sanctus infelicis 1444 femine miseratus insaniam, dilata interim oratione, obvius prodiit, et virgula quam tenebat percussam leviter, severius increpavit; deinde conversus ad dæmonem, « In nomine Domini, inquit, præcipio tibi exi ab ea, da gloriam Deo, et ne ultra revertaris expulsus. »

Concidit mulier ad vocem hanc, et inimico recedente, confecta protinus obdormivit. Post modicum experrecta, mente jam sana, sed adhuc corpore fatigato, panem sibi flagitavit afferri, quem a viro Dei benedictum cupide sumpsit: et sic facta incolumis, repedavit ad sua, multo quoque postea vixit tempore, vivæ virtutis exemplum circumferens.

16. Item rusticus quidam, nomine Constantius [Boll. Constantinus], prope Sanctum Victorem habitans, cum tanto plenus esset dæmonio, ut nulli parcens, seipsum dentibus infestaret, solam viri Dei præsentiam palam profitens formidabat. Quem sui toto corpore vinculis irretitum, et tanquam mortuum in feretro deportantes, eidem sancto pavidum nimis ac reluctantem præsentant. Ille super eum facta oratione, et oculis ac mente cælum respiciens, adjurato per Dei nomen inimico, ut discederet imperavit. Nota jam erat adversis spiritibus verborum ejus potentia, et quod jussisset transgredi nefas erat. Ad primam ergo jubentis vocem territus adversarius, et vas captivum compulsus dimittere, quod solum potuit, lassum reddidit et vexatum. Homo post paululum recreatus, sumptis quas sanctus obtulit eulogiis, sanus et gaudens ad propria remeavit. Horum fama discurrens, multos sedibus suis exciverat, et visuri novum prisce virtutis exemplum, misti vulgo nobiles undique confluebant. Quos suscipiebat ille satis convenienter et benigne; et cum dapes corporeos in solitudine, quæ tot turbis sufficerent, non haberet, apponebat omnibus

verbum Dei, quo tanquam pane, vel vino, vel piscibus, vel diversis deliciarum ferculis, credentium animas impinguabat. Mirabantur omnes vultus illius modestiam, et oris ejus accommodatum singulis fauandiam spiritualem, quibus ita quorundam animos immutabat, ut contemptis subito præsentis vitæ voluptatibus, solo futuræ beatitudinis amore flagrarent. Sed cum plerique Christo servire non nisi sub ipsius dicatu proponerent, et non parva esset competentium multitudo, multorum autem cohabitationem tam loci vastitas, quam studiorum diversitas excludere videretur, ortum est novum ex necessi-

ate consilium famulantibus divinæ dispensationi, rerum etiam difficultatibus, ut ibi scilicet construeretur monasterium, 1445 in quo velut ovili Dominico sub regulari et monastica disciplina, quos Deus colligeret, unanimiter habitarent. Ad quod construendum viam pandebat fidelium non paucorum devotio, qui certatim in hos usus prædia et pecunias ultro nei conferebant. Videns Dei famulus tanti boni præparatam divinitus occasionem, sciensque veraciter ad suæ periculum animæ pertinere, si tam multorum saluti, propriæ quietis respectu, deesset, habita super hoc cum fratribus suis deliberatione, assensu etiam et consilio Arvernensis episcopi bonæ memoriæ Renconis, laboriosa procuracione ad induit, cepitque monasterium ædificare, cum summa omnium gratulatione ac favore, juxta loculum in quo prius habitaverat. Optaverat olim vitam cum paucis solitariam, decreveratque nihil pecuniarum, vel possessionis a quoquam accipere: sed cum et hæc adeptus esset, et ex divinæ largitatis affluentia, secundiora [Boll. secundiora] succederent, ne supernis beneficiis videretur esse ingratus, ex fidelium oblationibus, quas vel sponte propria, vel ipso adhortante contulissent, ceptum opus prospere consummavit.

17. Eo tempore Francis imperabat Henricus, sedem apostolicam Deo nonus tenebat. Papam itaque supradictus episcopus adiit, vir sanctus regem Francorum, uterque super novi loci stabilitate auctoritatis robur et congrua privilegia petivit. Utrique successit ad votum, rege non solum de collatis, vel conferendis eidem monasterio concessionem firmante, sed et domum Dei virumque sanctum regiis honorante muneribus; papa vero decretis apostolicis roborante consilium, insuper etiam hominem Dei, cujus famam sanctitatis audierat, licet invitum ac retinentem fratribus præficiendum mandante. Factum est, et dedicato cum summa omnium gratulatione monasterio, vir beatus monasticum habitum, regimenque cum benedictione suscepit, tam fratrum precibus quam præsulis auctoritate compulsus. Alioquin tutius æstimabat regi quam regere, et de sua solum quam de multorum vita reddere rationem. Qui tamen ad utrumque Dei opem suffecit, cum neutrum de suis viribus præsumpsisset.

18. Quanta namque in eo, post susceptam regiminis curam, circa subditos industriæ vigilantia, erga Deum simplicitas mentis eluxerit, illud signorum frequens ostensio, illud spiritalia laboris ejus incrementa testantur. Nam præter sæcularium non modicam multitudinem, quorum animas verbo prædicationis suæ vitæque exemplo, orationem etiam suffragiis est lucratus; ex quibus ad trecentos ferme 1446 monachos acquisivit, præter ecclesias circiter quinquaginta post diuturnam desolationem ad Dei servitium reparatas; illud constat esse præcipuum quod unicæ simplicitatis ac charitatis suæ formam transfudit in discipulos, et eidem loco cujus

fundator existit, egregiæ dotis instar reliquiasse cernitur hæreditariam sanctitatem.

19. De miraculis vero pauca perstringimus, hæc scilicet fide qua nobis ea qui se vidisse asserunt, tradiderunt. Cæterum tota ipsius vita in terris, ingens quoddam miraculum fuit. Si qui tamen exterioribus ignis facilius capiuntur, non quod illa majora, sed quod ipsi minus sunt capaces, quales plus ducere solet carnalium sensuum admiratio, non deest hæc etiam in parte materia, qua talium quoque utilitati serviatur. Militem de Monte Gasconis, cui nomen Bernardus erat, tribus annis continuis renium injuria, quam nephresim medici nominant, laborantem, cum aquæ sanctæ aspersione super eum devotius orans, non solum corporis incommodo liberavit, verum etiam postea monachum factum Christiæ militiæ dedicavit. Item alium per vitiatæ sanguinis corruptelam aqua intercute laborantem, et naturalis caloris fomite jam demerso, superflui humeris abundantia protinus obruendum sacræ manus impositione restituit. Puerum quoque dæmoniacum gressibus ac linguæ privatum obsequio, rustici cujusdam filium sub loco qui Calcis mons dicitur, habitantis, eadem potentia per manus impositionem cum orationis virtute curavit, triplicique miraculo in eadem persona, muto vocem, claudoprogressionem, captivo reddit libertatem. Item præsentato sibi dæmoniaco cum panem sanctum in ipso ecclesiæ ostio porrexisset, inimicus tantæ fidei virtutem non sustinens, non sine horrissono strepitu et intolerabili fetore discessit, hominemque dimisit incolumem. Mulier membris omnibus dissoluta, quæ ipso missam celebrante sacris mysteriis assistebat allata scilicet non suis pedibus, sed manibus aliorum, ejus vocem quam de perpetuæ Virginis laudibus, in festo ipsius Annuntiationis ad populum dis-

serabat, fideliter audiens, restituta est protinus sanitati. Nec latuit assistentes tantæ virtutis effectus, cum de nervorum ejus concussionem fragor emissus terrorem subitum, tanquam de tecti ruina, præsentibus incussisset.

20. Hæc pauca de sancti hujus miraculis breviter memorasse sufficiat, ut nec provectorum firmitas oneretur, et fides simplicium roboretur. Nam seposita virtutum talium mentione, quarum, ut in causis dicitur, communis est locus, quoniam **1447** bonis non semper, malis etiam quandoque contingunt; sola vitæ sanctorum constantia prudentibus sufficit ad fidem pariterque exemplum, quam nisi bonus nemo potuit adipisci. Quid enim dignius unquam potest esse miraculo quam in tanta rerum mandanarum varietate immobilem mentis habitum custodire? Quem vir iste beatus ita fixum divino munere conservavit, ut nec ætatum, nec locorum, nec temporum, nec fortunarum diversitate a sancto proposito potuerit dimoveri. Unam petierat a Domino, hæc etiam requirebat, æternam scilicet in domo Domini habitationem, cujus intuitu quamlibet vitæ præsentis vel voluptatem, vel molestiam pro nihilo reputabat. Ita factum ut per brevis laboris cursum, omne etenim quod transit breve est, ad æternæ quietis bravium perveniret, felici commercio terrenis lucratus cælestia. Obitus quidem sui diem creditur præscivisse (73), fratribusque ad se convocatis post exhortationis verba, quibus eos divinis monitis instruebat, osculatus singulos vale dixit, sicque conversus ad Deum, seque et illos precibus commendans, plenus dierum dormivit in Christo, sepultusque est octavo Kalendas Maii in Casa Dei nova, quam ipse ædificaverat, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est cum Patre et Spiritu sancto honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

(73) Morte ante præscita, obit viii Kal. Maii, an. 1067. De quo vide Acta SS. sæc. p. vi, 2, in notis ad hæc vitam.

LIBER SECUNDUS

Domino vere sancto, et in Christi membris unice amplectendo STEPHANO abbati, MARBODUS peccator.

Frequenter petis, vir egregie, imo sub assumptæ petitionis figuram multo arctius jubes et cogis, ut priori libello quem de vita beati Roberti simplici sermone, utinam tam efficaciter quam libenter, composui sequens opus de virtutibus ejus secundum titulos primi scriptoris adnectam. Honorat parvitem meam repetitæ dignationis injunctio, sed onerat infirmitatem gravis laboris assumptio. Neque enim si prius tibi displicuisset, sequens a me opus tam instanter exigeres, nec rursus quod placeat absque labore et industria potest exculpi. Sed neque etiam ineptus

sum, ut si boni quid ago, meis hoc viribus arrogem et non illi potius a quo cuncta bona procedunt, nec tam infidelis ut in honestis ac piis laboribus divinum desperem auxilium. Gratulator igitur opusculum illud tibi, Pater, et sanctis fratribus placuisse, et divinæ gratiæ per quam placuit gratias ago. Sed quod restat eadem **1448** ope divina fretus aggredior, quam mihi non meritorum meorum, quæ mala sunt vel nulla, præsumptio, sed beati Patroni, de quo sermo suscipitur, et vestræ sanctitatis intercessio pollicetur. Mihi ergo, si quid errati erit, imputabitur quidquid recti supernæ gratiæ. Nec scriptoris, precor, indignitas susceptæ causæ præjudicet digni-

att, cum vilibus etiam e contra pærumque mancipiis, A dominorum intuitu deferatur. Nec qualiter, sed qualia dicantur fidelis lector attendat, quoniam sæpe per oratoris facultatem, et vera tenuiter, et copiose falsa dixerunt. Nam et salubres escæ ministrantur stilibus, et aureis poculis lethale aliquando miboetur venenum.

2. Primum igitur de sancti virtutibus narratore non alienum mihi videtur quorundam blasphemis obviare, in quorum frontibus et ore sacrilego draconis et bestie procul dubio character agnoscitur. De illa enim scriptum est: « Quod aperiet os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus, est tabernaculum ejus, et eos qui in cælo habitant (Apoc. xiii, 6). » Ita igitur qui sancto huic frustra molitur calumniam, indubitanter se probant ad illius bestie numerum pertinere. Aiunt ergo, non enim me piget velut ante iudices, depellendam callidæ malignitatis intentionem proponere. Novus iste sanctus antiquum nobis pervertit ordinem sanctitatis. Nam cum cæteri omnes, qui cum dilectione spem fideliter ad alta sustollunt, ascensiones in corde suo disponant, et superiora semper de inferioribus auspicentur, solus hic cum prius pedem posuisset in summo, sensim postmodum ad inferiora delapsus est. Instituerat longe a terrenis et laboriosis tumultibus, alto vertice nubes excedens, divina tantum et cælestia tranquilla mentis acie speculari, et ecce paulatim ad activum laborem et humana negotia, postremo ad curam cæmentariam declinavit. Amphoram cæperat, urceum consummavit. Motavit consuetudinem nuptiarum, et contra morem patrium, et veteris historię fidem, ante Liæ thalamos, Rachel amplexus promeruit; expertus utramque, pulchram facie prætulit lippienti, dum illa repudiata, huic perseveranter adhæsit. Quin potius expertus neuram, utramque frustra indigni more proci repellendus tentavit. Præposuit Martham Mariæ, et iudicio Christi contrarius, Mariæ optimam partem asserentis, et si non voce, quod est gravius, opere blasphemavit; sed et propriæ vocis assertionem convincitur, dum quod ipse post egit, affirmat esse damnabile. Sic enim discipulos eremum petituros alloquitur: Non proponere, inquit, summa 1440 tolerabile propter humanam fragilitatem, cadere autem a proposito damnabile propter diabolicam transgressionem. Aut igitur fides non est habenda scriptori, aut eum qui voce propria transgressionis arguitur, non eum meritum, sed alienus error sanctificat. » O lividis plenam salibus et superba contentione calumniam!

3. Jam et in hoc a beatorum sorte sanctus hic vir non discrepat, quod iniquorum maledictis et odiis propter Jesu Christi nomen impetitur, utique propter nomen Christi, licet eodem maledici nomine censeantur. Nisi enim egregie Rotbertus Christo servisset, nec tanta sanctitatis ejus per diversas regiones increbuisse opinio, isti profecto superbiæ filii nec sua cum dignum ducerent detractio.

Nunc vero quoniam et ipsi religionis sibi, per hypocrisis, laudem vindicare non metuant, damnus gloriæ suæ putant quidquid laudibus alienis accesserit: inde fit ut ad delendum Rotberti nomen totis eruditionis suæ viribus enitentur contra spiritalem Dei servum, armis spiritualibus et divinis auctoritatibus abutentes, utpote quos in castris suis Christus velut hostes nutritus; sic et horum majores, quos ex patre diabolo superbia mater genuit, ausi sunt quondam improperare Martino, quod flammaram adustus incendio, sub mortis instantia fugæ præsidium trepidus implorasset. Egredere tum causam Martini, jubente Christo, Sulpicium, et lectoris iudicio, confusis adversariis, silentium victor imposuit. Nunc quoque potens est Christus indoctam et frustra sibi de scientia applaudentem superbiæ nostræ humilitatis obsequio vel confundere, vel docere. Age enim quisquis ille es novæ sanctitatis impugnator acerrime, qui veraciter novo homini infestus, adhuc veteris imaginem ore sonas et mente geris. Age, inquam, obscuræ diligentie nobilis, imo notabilis ostentator, qui dum tibi lynceos oculos arrogas, ad talpinos recidisti, quæ tandem tibi videtur antiqua regula sanctitatis, ut scilicet activum quisque laborem prius exercent, per quem charitas compassione sollicita proximorum succurrit necessitatibus. Deinde novis semper virtutum profectibus ad altiora se tollens, contemplativæ arcem dulcedinis, in qua solius divinitus insatiabili amore fruatur, tandem victor obtineat: quocum pervenerit, jam nefas inde inferiora respicere, sed sicut de quodam ridicule dictum est et hic non incongrue dici potest: Miratur cæli cardines, ultra non curans homines. Ita ergo duas Ecclesiæ vitas, suis quamque finibus novus auctor et expera utriusque determinans et sic confuso mentis errore 1450 et impermixtas esse contendis, ut qui superiorem semel attigerit, ei sit ad inferiorem redire damnabile: hoc est qui Deum plene dilexerit, non possit et fratrem diligere.

4. Novam pro religione crudelitatis regulam introducis, ut jam Græcia loquax multo fabuletur humanius, Orestem et Pyladem patria profugos, vi tempestatis in exterum littus expulsos, cum capti ad Scythicæ Dianæ aram statuti essent, ut peregrino sanguine crudeli divæ solemniter litaretur, data lege quod tantum unus oppeteret, diu multumque pium barbaris umicæ contentione præbuisse spectaculum, dum alter alterum vicaria morte conatur redimere. Jam tu religione Christiana ipsis idololatris agi suades immanius. Si quis pater mitissimus clausos diu profundo et tenebroso carcere liberos, stans in laci supercilio flebili voce compellet, demissaque scala, per gradus tritos cohortetur eniti; tum cæteris diffidentibus et indocili mente turbatis unus quilibet elacriori conatu et experientia firmiori, gressus arduos moliat, isque cum ad superiora latus emergerit, implorantes frustra opem germanam fraterculos adversetur, nec eis con-

sentiat per assensus notissimos facilem præbere ducatum; idque mentiatur paterna dilectione se facere, cum pater afflictos commiserans, ad opem ferendam pio illum affectu instimulare non cesset. Is igitur tibi perfectissimus videatur, si quispiam in amphitheatro pugnantem cum acerrimo gladiatore quem ipse jam vicerit, cujusque non ignoret argutias, sub mortis discrimine spectet germanum, eumque cum possit non instruat, sed fraterni securus periculi, cum spectatore parente residens emeritus, intempestivis ejus velit oculis delectari, nunquid non ab omnibus et ab ipso patre improbus et crudelis, et in fratres neglectu judicatur impius parricida? Sed Dei, inquit, flammens amor omnem rerum mortalium curam devorat et consumit. Ergo, si ita est, oritur novum et monstrum simile in ipso charitatis regno dissidium; et « duobus mandatis, in quibus tota lex pendet et prophetæ (Matth. xxii, 40), intestina et plusquam civili seditione confossa consequenter totius Christianæ fidei corrumpunt sacramenta. Nam ut laxos circuitus brevi complexione succinam, si flagrantissimus amor Dei, in quo contemplativæ summa consistit, fraternam dilectionem quæ est activæ causa vel maxima, devorat et extinguit, dum et ipse simul extinguitur, nulla remanet portio charitatis. « Qui enim non diligit fratrem suum quem videt. Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? » (1 Joan. iv, 20.) Item: « Qui viderit fratrem suum necessitatem habere et cluserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? » (1 Joan. iii, 17.) Aut igitur Deum diligens amabit et proximum, aut proximum spernens contemnet et Deum. Porro si cum Deo fratrem dilexerit, indigenti pro viribus necessaria ministrabit; quod sive opere, sive re non habens, sola faciat voluntate, auctuum [f. actuum] procul dubio negotium exercent. Rursus otiosus, imo nulla erit fraterna dilectio, nisi meritis ad Deum erigatur intentio. Cogit nos quo debet rationis invictæ necessitas: ita igitur, cum duæ vitæ sive ab invicem meritis sint discretæ, ab eodem tamen communiter lege queunt vicaria possideri. Cumque ad interiorum pro necessitate recurritur, non est casus, sed descensio; non est prævaricatio, sed compassio. In hac ergo parte virum sanctum transgressionis arguere, est, sicut apparuit, plus quam verbis arguenda transgressio.

5. Quod vero illum prioci ordinis asseris perversorem et ante Liæ thalamos Rachelis pulchritudinem, imprudentia proci exemplo, frustra tentasse, mirum, nisi somnians hæc vidisti: quippe gestorum ipsius evidens et ordinata narratio nec tuam, credo, latere potuit cæcitatem: ibi enim de præcedentibus ejus elemosynis non siletur. Porro, quod eum, contra Christi sententiam, Martham insimulas prætulisse Mariæ frivola prorsus et vana probatur obiectio. Nam si hæc temporis ordinem prælatio referatur; quod quidem ab incauti tantum criminantis stultitia non abhorret seipsam linguæ volu-

Ab illa impugnat calumnia, dum eundem nunc arguit id fecisse, quod paulo ante arguit non fecisse. Nam superius, quod Liam ante Rachelem non duxerit, hic causaris, quod Mariæ Martham prætulit. Sed mystice idem sunt Lia et Martha, Rachel et Maria. Præferre igitur, quantum ad ordinem, Martham Mariæ non potuit, si Liam Racheli non prætulit. Quod si dignitatis intelligatur prælatio, sic quoque in te vanitas eminet objectoris, de alienæ mentis iudicio quod neciat asserentis. Quantum enim ex illius viri sancti verbis aut operibus potuit apparere, Mariam veraciter Marthæ dignitate præposuit qui propter Dei amorem fratribus ministravit: in qua compassione, non ardui propositi retrogradus violator, sed electorum omnium et ipsius capitis extitit piissimus æmulator. Hæc est enim antiquæ, hæc est et modernæ, hæc et futuræ regula sanctitatis, quam inter utrumque marginem, insignitis virtutum gradibus, usque in finem sæculi decurrere non cessat famulorum Christi prompta devotio.

1452 6. Contra ea quæ ab his dicuntur qui activam vitam contemplativæ intermiscere nefas judicant, ut in beatum Robertum, cujus invident sanctitati, devolvere possint calumniam, satis dictum putamus. Separatim tamen, ne quis forte nos respuat, quasi præter Scripturarum auctoritatem sensu hæc præferentes humano, sacris testimoniis volumus illustrare sententiam; non alienum ab hujus operis intentione existimantes, si ad ædificationem legentium præsentem Dei famulum antiquis sanctis fuisse ostendamus in hac discretionis virtute conformem. Huic ergo scalam Jacob patriarcha, cum super lapidem mysticum fessum caput dormiens reclinasset, « innixum Dominum vidit, et angelos Dei non solum ascendentes per divinam contemplationem, sed etiam descendentes per humanam compassionem (Gen. xxviii, 12). » Quod quidem mysterium et in suo connubio idem patriarcha exercuit, dum post pulchriores amplexus, fecundioris conjugis coitum sæpius repetivit. Hæc si æmulum temeritas advertisset, nullatenus divinam historiam stultæ suæ crederet calumniæ suffragari. Quid enim aliud veteres scripturæ? Quid aliud sacratissima loquitur Novi Testamenti? Nam, ut pauca proponamus de singulis, Abraham fidei pater, Isaac promissionis filius, Jacob gratiæ spiritualis electio, qui specialiter beatæ Trinitatis in se mysterium prætulere, nonne et cum Deo sæpius loquebantur et domestica nihilominus negotia procurabant? Hæc in Jacob maxime vicissitudo elucet, qui cum Deum facie vidisset ad faciem, unde et locum Phanuel nominavit, statim itineris exigente necessitate, ad disponendam conversus familiam, ancillas et uxores cum liberis et gregibus per turmas distribuit. Sic et Moyses legislator solus cum Domino moratus in monte, commisso vicissim populo se reddebat; nec semper divini tabernaculi incolebat secretum, sed foras egressus, tumultuosas languentium causas, non levi plerumque negotio

dirimebat. Illud quoque non longe videtur ab hac intelligentia resultare, quod « sedens Axa super asinam, a patre suo irriguum superius, irriguum inferius, neutrum sine altero postulavit (*Josue xv, 16*). » Nec minus et Christi apostoli Petrus et Joannes ascendebunt in templum a: horam orationis nonam, quo numero angelicæ summa contemplationis innuitur; et mox egressi, potentibus in Christi nomine beneficia conferebant. Paulus quoque doctorum præcipuus, reptus in paradysum, non semel, et defecatissimo mentis obtutu, cœli tertii secreta rimatus, iterum se non solum ad hominum, sed etiam ad carnalium **1452** hominum coaptabat mensuram, benevola compassione incontinentibus aliquid etiam de voluptate concedens: « Propter fornicationem, inquit, unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaque virum suum habeat; et uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro (*I Cor. vii, 2*). » Vide quid faciat imitanda perfectio charitatis; secretarius paulo ante colorum, sit ecce cubicularius thalamorum. Sed et de collectis, quæ in sanctis flebant ad præparandam repromissam benedictionem, diligenter Corinthios hortabatur. Ita per geminæ plenitudinem charitatis, idem summus et imus, cœlicus et terrenus, sive mente excedebat Deo, sive sobrius erat nobis: a qua sanctitatis regula nec cæteri Christi exorbitavere discipuli. Sed singulis proprias notas ad hoc negotium pertinentes affigere, et valde longum, et non valde necessarium, solus Dei Filius Jesus Christus nobis sufficiat ad exemplum; de cujus plenitudine omnes acceperunt, cujus tota in terris vita, morum exstitit disciplina. **C** Jesus ergo nunc ascendit in montem solus orare; nunc venit ad discipulos, quos videt in fluctibus laborare; nunc turbis erogat verbum Dei; nunc largitur munera sanitarum; transfiguratur in monte; suam gloriam paucis ostendit: reverens ad turbas, supplicantis pro filio patris coram multis exaudit miseriam. Aliquando Spiritu sancto exultans, cœli et terræ Domino confitetur; aliquando seipsum conturbans, pro amici funere lacrymatur. Docet et verbo quod ostendit exemplo, cum non solum clauso ostio Patrem orare, sed et aperto beneficio fratri parenti succurrere nos hortatur. Idem et in Canticis contemplativa probat Ecclesia, querens se a lecto quietis internæ ad exteriorem quam exuerat curam, et prædicationis officium, sponso revocante, compelli. « Ego, inquit, dormio, et cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, et cincinnati mei guttis nocturnis. Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo eos? Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus. Surrexit aperire dilecto meo (*Cant, v, 2*). »

7. Ex his omnibus satis constans esse potamus et evidens contemplativos ad actionem non solum

(74) Quæ inter hos uncinos includuntur, desunt in cod. Britoliensi, et aq. Bollandum.

A licenter, sed et necessitate plerumque mutari, nec prioris pati meriti detrimentum; quia, si quo fraudatur interius pulchra sterilitas, totum compensat exterius lippa fecunditas. Sed quoniam hujus rei tam late patet ostensio, **1454** ut tempus me citius quam copia deserat exemplorum, tanto magis quæ sunt dicta sufficiant, quanto minus dicenda deficiunt, Quocirca quoniam veritas falsitatem redarguit, et charitas instruit invidiam, « muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur adversus justum iniquitatem in superbia et in abusione (*Psal. xxx, 19*). » Imo quia magis intendimus ædificare quam vincere, cedat invidia charitati, ex taxato veræ confessionis præconio nefandæ blasphemie redimatur impietas, ut in spiritu dilectionis et pacis beati viri merita pariter prædicemus. Miracula quippe quibus, largiente Domino, sacri corporis ejus illustratur sepulcrum, meritorum ipsius certa sunt dubitantibus argumenta. Ergo hæc fidelibus et malevolis, si qui restant qualibus supra, quantum Dominus dedit occurrimus, secundum hujus opusculi tenorem pro nobis respondeant, ut quemadmodum, teste Apostolo, lingue in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus, ita e converso signa in linguam sint non fidelibus, sed infidelibus.

8. Ea ipsa die qua beati viri corpus sepulturæ tradendum jacebat, unus ex antiquioribus ejus discipulis, cæteris circa pias exequias satagentibus, solus in partem secesserat, utpote qui repentiam sui destitutionem præ diuturna consuetudine familiarius pateretur. Illic cum nimio luctus angore fessus, et consternatus animo resedisset, ut solet, ex tristitia somnus irrepsit, et ecce divinitus mentis sibi lumine reerato, igneum globum cœlo delapsum supra ubi corpus sanctum jacebat, conspiciit astitisse, cujus splendore lucifluis vicinis quoque vehementius irradiarentur: cumque ad tantæ visionis horrorem stuperet attonitus, adest cœlestibus stipata legionibus inestimabilis femina venustatis, proprio fulgore prævii luminis æmulans claritatem, quam ex vultus et habitus majestate reginam esse constaret. Hæc super feretrum igneo globo insistens, manu porrecta jacentis dexteram apprehendit; blandæ vocis alloquio ut surgeret et secum ascenderet cohortatur. Ita manibus consertis, recto itinere in cœlum gradientes, comitante se lumine, cum jam ætheris confinia tangere viderentur, emissa desuper ingenti dextera, cœloque patente recepti sunt. Hanc Domini fuisse matrem nulli sit dubium, quæ devotam sibi animam post vitæ præsentis decursos rite labores cœlestibus, Christo suscipiente, gaudiis introduxit. Ejus quippe se vir sanctus post Christum specialiter obsequio manciparat, eamque vivens in carne tam impatienti spiritualiter diligebat affectu, ut ab ejus laudibus, etiam cum de alio ageretur, temperare non posset, ut ad ejus **455** memoriam etiam dormiens animo vigilaret (74) Christi et Mariæ penitus impressam cordi gestabat imagi-

codice Pictavino et apud Labbeum; existant tamen

nem. Hoc velut unicum et dulce depositum lætando mentis gremio confovebat. Ligaverat in corde suo geminam hanc, disparis quidem, sed inestimabilis utramque pretii margaritam, ad quam singulis horis insatiabili desiderio secretæ charitatis oculos revocaret. Semper in ejus ore versabatur Christus et Maria, castitæ et misericordiæ; Mariam cœli portam, maris stellam, Spiritus sancti sacramentum, miserorum refugium, rosam pudoris, liliæ castitatis, gemmam virginitatis, variatis ad delectationem nominibus, vocitabat. Si quis vellet Christi gratiam promereri, ambiendum prius censebat ad matrem, velut alteram Dei mediatricem et hominum, quippe cui Filius secundas reconciliationis partes delegaverit, et eos ipse Patri commendet, quos sibi Genitrix propria commendavit. Hunc magistri fervorem adhuc hodie discipulorum probat ac representat devotio, qui per ejus traditionem quotidiani officii laudes in cœnobio Casæ Dei gloriosæ Virginis communiter et gratanter exolvunt. Quocirca dubitari non debet beatam animam ab illa potissimum deductam in gaudium, cui, salvo Deitatis privilegio, studuerat servire potissimum. Nec defuit prædictæ visioni totius divinæ Trinitatis auctoritas, quoniam et in igne Spiritus sancti flagrantia, et in dextera Filii fortitudo, et in cœli specie Patris majestas signanter enituit.

9. Item vir quidam Vellavensis [*La Velay*] incola territorii febribus quartanis biennio continuo carpebatur: hic, cum implorandæ sanitatis desiderio multas diu sanctorum memorias circueis pererrasset, consumpto frustra studio, periculosam ægritudinem intempestivi laboris molestia cumularat, nec vel suæ infidelitatis culpa, vel patronorum impotentia fallebatur, sed beati Roberti meritis, ut postmodum claruit, divinitus servabatur. Nam cum ipso tumulationis ejus die, ante sacri corporis locum, quo eum pervagata circumquaque venerandi obitus fama, inter promiscuas turbas properantes adfluxerat, humi prostratus, non sine certa impetrandæ fiducia sanitatis, remedium diutius implorasset, inter orandum, somno cœlitus illabente, leviter obdormivit, cum interes secreto divinæ pietatis affectu per beati viri merita venarum calefactis meatibus pigri diu frigoris vis noxia cœpit resolvi, et toto corpore patentibus poris febrifluis sudoribus pariter emanare. Sensit exonerata dormiens natura remedium, et homo absque medicæ curationis molestia omni repente liberatus incommodo, alterum se mirans 1456 resurgere sibi videtur dum evigilat. Quantas tunc Deo pro recepta sanitate grates egerit, quantas Robertum vocibus inclamarit, solus ex ejus gaudio poterit æstimare, qui gaudium ex præcunte molestia mensuravit. Sicut enim plus gaudet qui majus evasit periculum, ita majores agit gratias qui plus gaudet.

10. Hujus ergo tantæ virtutis opinio, tam eorum ore qui viderant, quam et qui crediderunt referentibus, per regiones finitimas celeriter divulgata,

languidorum debiliūque greges ad sacrum beati viri sepulcrum, velut dispensandarum gratis sanitatum largi suam quamdam ac propalatum nuper ennotis languentibus officinam, diversis pariter itineribus adducebat. Inter quos miserum quemdam senem, cujus infortunio ad duplex senectutis scilicet et paupertatis, incommodum gravissimum plane pessimumque cæcitatibus unus accesserat, anxia tori consors ad sepulcrum statuit confessoris. Ubi dum per triduum cæcus ille indefesso studio mentis oculos fixus in Christum, Roberti nomen cujus debebat patrocinio, sæpius iteraret, nec vel momentum sibi relaxaret a precibus, offensa mulier importuna viri ut videbatur garrulitate: « Desine, inquit, vel tandem presentibus inferre molestiam, si quiescenti facere non times injuriam. Nam qui te non putas a sancto, nisi clames improbus, exaudiri, dum lumen imploras amissum, quem sic pulsas infamas auditum; nec mereris impetrare quod oras, dum velut eurdo cæcus improperas. Exspecta potius cum silentio, et in cordis cubiculo funde preces. » Hanc ille vocem sic indigno abundus exhorruit, ut eam non tam feminæ simplex eloquium, quam fraudulentum serpentis sibilum judicaret. « Parce, inquit, parce, mulier, etulte loqui, et impiam blasphemiam imagine fidei palliare. Siccine delicatas aures suspicaris sanctorum, ut eas nimis putes clamoribus enecari? » Imo edocti divino Christi magisterio, quod non dant amico plerumque roganti, tandem largiuntur improbo pulsatori. Statimque conversus ad sanctum, piū nomen acclamare cœpit instantius, imitatus evangelicum cæcum, quem turba magis accendebat in preces, increpans ut taceret. Mota jam judum pietas sacerdotis, potestatem a Deo restituendi cæco luminis impetrarat, sed probat petentis fidem, dum differt dare quod petitur, simulque beneficium plus desideratum sit gratius. Dum igitur homo persistit in precibus, occulta virtus manifestum dedit effectum, cœpitque densa caliginis nubes avelli, ut velut distante jam spatio, oculis mirantibus, cum lucem nondum 1457 viderent, suæ cæcitatibus apparere, velut si lucem videntibus velamen obtendas. Admovit homo festinus palpitantibus oculis manum, et mirum in modum nil tangens, quidquid officiebat deterisit. Illuxit diu sepultis orbibus lux mirabilis, et totam mox reddidit corporis accensi substantiam clario-rem. Rupit ergo se ipsam non capiens gaudii mensura silentium, et novi in semet miraculi congruus prædicator, per totam repente basilicam cœpit mistis laudibus gratias intonare. Quis tunc ibi presentium, Dei poluit silere præconia, qui beati Roberti merita non cantavit? Manifestissimum probamentis virtus indubitata constabat, cum oblatas sibi diversas species cæcus modo, distinctis quamque nominibus ad visionis indicia designaret, ne colorum vel formæ cujuslibet distantia falleretur. Inveniat, hic, si potest, mordax invidia locum calumniæ, et ad depravandum saltem quod negari non potest, tentet ex odio quodlibet comminisci,

Bad cum conatus suos omnes deficere prorsus casso labore compererit, credat vel sibi quod nobis credere forsitan dedignatur, et exemplo vesani illius prophetæ, ab asina sua, id est, propria stultitia redargutus tandem turpius resipiscat. Nunquid enim totum hujus mirandæ virtutis effectum non sancti viri meritis, sed potentis fidei contendet potius ascribendum: at enim potentis hæc erat fides, quod lumen posset amissum Rotberti precibus impetrare; inde est quod nomen Rotberti sæpius inclamabat. Aut igitur quod postulabat, ejusdem sancti meritis impetravit, aut sibi ad impetrandum, ipsa qua postulabat fides nil profuit. Nam et antea sæpe, fide utique Christiana, ad aliorum sepulcra sanctorum amissum lumen imploraverat, et nusquam tamen meruerat exaudiri. Postremo, si tota foret beneficiorum largitio fidei postulantium imputanda, nullæ Christo gratiæ referrentur, qui sæpe laborantibus cum diversa beneficiorum remedia contulisset, Udei tamen meritum non tacebat: « Fides, inquit, tua te salvum fecit (*Marc. x, 52*), » hoc est, ut salvus fieres impetravit, non mihi dando potentiam, sed a me gratiam promerendo. Fides igitur postulantis nec largientis potentiam, nec meritum patrocinantis evacuat.

11. Ecce et aliud mirandæ sanctitatis evidens documentum. Ex Lemovicensi pago misera quædam viginti lere annis maligni spirituum frequentibus incursionibus devastata, tandem ad beati viri sepulcrum a fidelibus personis adducitur. Sane non illam continua, ut solet, fatigatione vexare vis inimica consueverat, sed in morem chronicæ passionis gravius post intervalla **1458** torquere. Itaque dum ante sacri corporis locum statuta, velut ante pium iudicem reus absolutionis suæ sententiam, suspensis qui aderant omnibus, expectaret, tantis repente toto corpore convelli cæpit tremoribus, ut mortem potius expectandam, horrenda supplicii [*Boll. supplicis*] facies intentaret. Trepidabat nimirum, invisibilis cujusdam majestatis præsentiam ferre non valens nequitiâ spiritualis, et dum male invasam substantiam, velut improvise superventu territa festinat dimittere, oclusis exitibus, undique circumcursans carcerem suum contulit tremebunda. Nam retinet ad tempus, ut torqueat censura prædonem, simulque futuræ mox purgationis miraculum, ostensam præ oculis pestis horrendæ magnitudine, commendatur. Dum igitur in hac tam scæda specie miserandum astantibus aliquandiu propriæ calamitatis præbisset spectaculum, subitam femina prorupit in vocem, et, iteratis sæpe clamoribus, sancti Rotberti cæpit adjutorium invocare. Interea mansionarius acceptam sacræ conspersions aquam in os vociferantis roravit, et velut imbre cælitus misso, sævæ passionis totum subito restinxit incendium. O miranda prorsus pii merita confessoris, qui etiam per humilis ministri officium potentiam effugat inimici! Hoc plane est egregiæ cujusdam virtutis indicium, quæ passim non possit sanctorum

A cuilibet provenire. Dedit hoc Christus apostolis, ut in suo nomine malignis spiritibus imperarent: quod sæpiissime per seipsos fecere apostoli, raro autem per alios quos juberent. Præsumpsit hoc olim magnus ille et mirabilis Eliseus, cujus sacrorum ossium contactu cadaver hominis resurrexit (*IV Reg. xiii, 21*), nec tamen puer præmissus cum baculo defunctum mulieris magnæ filium ejus imperio potuit suscitare; non quod tantum prophetam fefellerit fiducia meritorum, sed quia non semper, etiam perfectis, tam exundans gratia conferatur: quibus autem id aliquando confertur, perfectos esse dubitari omnino non potest.) Collapsa igitur mulier pavimento, jacuit aliquandiu sine sensu, ut plane cunctis nihil aliud quam mortua videretur. Neo magnum negotium erat sancto vivacibus meritis suscitare mortuam, si forsitan quod videbatur hoc erat. Redeunte itaque vel anima, vel sensu post spatium, apertis oculis cum quiete, in modum antiquæ illius Tabithæ resedit, et de recepta mentis et corporis sanitate sermo Dei Rotberto, quantas poterat gratias referebat. Tunc præsentibus qui aderant, et rei exitum jamdudum stupidi sustinebant, viso tanto tamque potenti miraculo, certatim Dei laudes piis clamoribus intonabant. Sed et **1459** mulier ad patriam reversa incolumis, miræ virtutis exemplum quod senserat ipsa circumtulit.

12. Item vir quidam Forensis territorii patriota [*Le Forez*], filium suum jam multo tempore nervorum contractione damnatum, ut non gradi, sed repere videretur, ad sepulcrum beati viri pro ejusdem suæ sobolis sanitate piis precibus suspirans advenit, ibique per unius hebdomadis spatium lacrymis insistens et votis, divinæ miserationis opem fideliter expectabat. Interea die quadam, dum fratres missarum celebrarent officia, cæpit puer subitis nervorum motibus agitari; et ut torpida diu ocra tentaret extendere, [reviviscentis quodammodo naturæ pulsibus admoneri. Tentavit velut hæsitans quid moveret:] et ecce quodam impetu cum fragore culis extendebantur nervi, ut jam vel si conaretur, non posset desistere. Sine dubio vis cælestis arcta nimis, captivæ diu naturæ vincula dirumpebat, et quod exercebatur non erat in hominis potestate. Erigitur statim desuetos claudus in pedes, et vacillanti primum incessu cogitur ambulare. Accurrunt illico lacrymantes præ gaudio qui cernebant, et injectis undique manibus, cum Dei laudibus erectum ad altare perducunt. Fit tale gaudium apud omnes, quale utique supernæ præsentis manifesta probatio merebatur. Super omnium tamen præconia, patris vox gratulanda festivius resultabat, qui causa lætandi propensior majorem dabat materiam declamandi. Sic cum filio, solidatis basibus, jam non claudus, reverens ad propria, grande miraculum patriis finibus introduxit.

13. Ex oppido, quod Ceresium nominatur, eques

non ignobilis filiam habebat, quæ sædum in modum, facie tumefacta, geminis etiam jamdudum capta luminibus, duplicis incommodi gravi sarcina premebatur. Visum est patri post tempus, qui puellæ miserias mœstis visceribus indulebat, ut eam ad sancti viri sepulcrum dirigeret, ubi multos recipere sanitatem celeberrima jam fama vulgaverat. Ducla est cæca ad sanctum luridis tumoribus faciem deformata, et post modicum rediit videns, in pristinum decori vultus imaginem reparata. Nam dum precibus assiduis pulsat Deum, quales sibi contriti cordis dictabat afflictio, dum beati Roberti nomen et merita sæpius contestatur, unus ex fratribus custos ædis, de vultu gestientis colligens supplicantis affectum, admovit etiam vocibus aurem, statimque pietate permotus ingemuit; et velox affectu, vinum quo lotum fuerat corpus sancti detulit festinanter, eoque totam faciem pavitantiæ **1460** respersit. Verum illa ubi percensit auxiliare sacra laticis guttas, idem sibi fieri sæpius flagitabat. Quod cum per dies aliquot factum esset, integram recepit femina sanitatem. Redit ad suos facie collustrata, quam nec videri jam pudeat, nec videntibus necesse sit invidere. Gavisus est pater, visa filæ sanitate, gavisæ familia cum vicinis, et totum simul oppidum communibus votis in Dei laudibus exsultavit. Nec beati Roberti siluere præconia, causam miseræ, more suo, strenuus interventor suscepit.

14. Notus est vicus, quem monasterium vocant indigenæ. Habebat hic miles filiam habens, quam miseris modis sævus spiritus agitabat. Hæc non tantum tetrissona fremitu, vel gestus horrendo, seu verbis spurcissimis, significabat insaniam, verum quos posset moribus impetabat; neque parcebat vel sibi, si quando aliquos invadendi copia non daretur. Nec vero qui se patrem cœnerat agnoscebat, nisi quod latentis inimici suggestu, majoribus illum quam cæteros contumeliis infestabat. Sed quando eum gravioribus pulsasset injuriis, tanto magis in miseram paternæ pietatis viscera movebantur. Spectabat infelix in corpore filæ pœnam suam, et quodammodo tormentis gravioribus angebatur. Sentiebat enim iste mente sana quod plangeret, cum apud illam ipsius sensum doloris absorbuisset insaniam. Illa torvos vultus et perfusorum rabie cruentas acies oculorum sæva [*Boll. secura*] versabat; mœsti parentis pallidas genas, uberibusque lacrymis lumina madefacta, genus spectaculi, miserandum dolor effecerat. Rictus terrificos, et spumas furentes, et rotalæ cervicis tortiles gyros, et implexi capitis horridas comas, et quidquid aliud in nescientis corpore flebile cernebatur, totum in se transferebat pia compassio genitoris. Inter hæc, cum nulla pateret via remedii, sævum dolorem exacerbabat plus ipsa desperatio sanitatis. Sed cum in tantis tristitiæ fluctibus jactaretur, flavit subito ab amicis salutaris aura secunda consilii, ad sancti viri sepulcrum puellam diri-

Agere, quo nullius potentis fides justo desiderio frandaretur. Statim in spern certam erectus hanc esse salutis filæ, velut attingendi littoris unicum viam, parat famulos et ancillam, et quæ necessaria videbantur, impositamque puellam vehiculo duci festinanter jubet ad sanctum, moribus tamen omnibus impeditam, ne more suo prosiliens, quolibet obvius sauciaret. Iter illud medium quod tendebant Ligeris fluvius dirimebat, cujus utique rapidos fluctus solent etiam eana capita formidare. Hic vincula cœpit habere jam melius, et vultu **1461** tranquillo verbis mitibus comites appellare; nimirum virtutis hoc erat, non naturæ remedium, ubi plus poterat lymphata maxime natura terreri. « Quare, inquit, me pœnia velut mortuam involvisis? Solvite, quæso, defessam, nec ultra velitis victam coercere. » Sic voluta confestim toto intervallo mente placita conquievit. At ubi ad sacrum tumulum velut ad locum examinis est perducta, silere non potuit qui latebat, dum purgandos remolarum fibrarum sinus violentia rimatur discussio, pestis improba fremere cœpit dentibus, et grassari, et post paulo amittendam substantiam modis omnibus fatigare. Nam post triduum fraus expulsa, omnes causas molestiæ secum tulit. Redit in statum pristinae sanitatis paulatim recreata natura, et post modicum plusquam sospes ad patris domum, vires suas admirans, ipsa revertitur. Quid intulerit gaudii, [quid votorum, æstimandum lectori reliquimus: nam neo extraneos a divinis laudibus] crediderim temperasse, qui simplici erga miseram communis naturæ movebantur effectu; quanto amplius paterna pietas gestiebat, quam communis et proprio cohortabatur afflictio. Nec immerito sanctum Domini confessorum multis omnes laudibus extulerunt, cujus meritis gloriosis tanta divinitus miracula sunt concessa. Quæ, ne forte cuiquam dubia viderentur, quid in hanc partem contigerit, placuit in ultimis recitare.

15. Comitatum fama virtutum apud Alpes maritimas increvisset, et in sancti Roberti præconia, corda et linguas accenderet populorum, archipræsul illius provincie, vir moribus æquiparans dignitatem, indignum ratus si velis vulgi rumoribus pontificalis gravitas fidem protinus adhiberet, statuit non indiscussum dimittere, quod ad publicum vel errorem, vel meritum pertinere constabat. Fuerat sane beato viro, dum in carne viveret, diu notus, et amoris similitudinis junctissimus. Facto igitur, ut res petebat, congruo itineris apparatu, profectus est ire, non quidem voto increduli tentatoris, sed probandæ potius studio veritatis. Venit ergo cum comitatu exemplo reginæ Austri ad locum, probaturus sicut illa sapientiam, sic iste potentiam Salomonis. Susceptus est hospitaliter, ut decebat, sicque ubi visum est opportunum, ingressus in monasterium fieri sibi copiam postulavit. Factum est protinus ut petebat, obsertisque foribus ædis, solus ipse remansit intrinsecus. Ibi totus effusus in preces, sancti Roberti sepul-

cro advolvitur, et 1462 præ igne fervidæ charitatis liquefactus in lacrymas, ex medullis cordis invocat verum lumen, ut sibi dignetur manifestius revelare si vere et absque aliquo suspicionis ambiguo divina potentia tantum beato viro miraculorum gratiam contulisset, presentibus sæculis insuetam. Dixit etiam multa conversus ad sanctum, sicut ei parturiens preces anima suggerit, nec co-savit matrem Virginem invocare, nec spiritus angelicos prætermisit. Inter ea dum precibus addit præces, divina prolinus manifestatur responsio, non formata elementariis verborum sonis, sed evidentibus verum constans iudiciis. Contractam diu corpore toto puellam, quæ ad sepulcrum sancti, sicut postulaverat, portabatur, nutu Dei confluentem undique communibus votis populus sequebatur. Pulsantibus apertæ sunt fores, ei ingressa prosequens multitudo. Vox bene deposita tetigerat pavimento, resolutis nervorum nodis, dirupta cute poplitum, surgit in pedes, et per totam basilicam gressum movens, rudimenta gaudet novi muneris exercere. Tollit populus voces in cælum, et læto tumultu personant universa. Stat in parte stupefactus episcopus, et de pristina pietatis scrupulo, non tantum consono multorum testi-

monio, sed oculari etiam fide confunditur. Agnoscit etiam tacitus gratiam quam petebat, et tam cito se exauditum miratur. Ne tamen aliqua parvæ suspicionis relinqueretur occasio, duplicato protinus miraculo confirmatur, ut quasi legitimus testimonij numerus non deesset. Nam vix bene de priori gaudio tumultus resederat, cum ecce non parva comitatus caterva cæcus ab ortu puer adducitur, et omnium qui aderant in se mentes et ora convertit. Nec mora, statuitur ad sepulcrum, oratur pro illo a populo, et expulsa statim caligine, mirantes oculos penetrat lux ignota. Exoritur rareum lætitiæ, rursum voces. Miratur episcopus repetito, cujus mentis pristina cæcitate similis materiam virtus alludit. Opponitur cæcitas dubitanti, et illuminatio credulitati respondet. Nullos jam locus relictus erat ambiguo, et ultra in tanta evidentia nullus Thomas poterat dubitare. Erumpit ergo corroboratæ fidei pro-
B vectus in vocem, et in aures omnium sonat verax confessio. « Plus, inquit, hic video quam audiivi, et est longe inferior opinio veritate » Reversus est præsul ad propria, reportans pretiosæ confessionis divitias, et dans gloriam Deo cæli, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

AD VITAM SANCTI MAGNOBODI EPISCOPI ANDEGAVENSIS

BREVE MONITUM.

1462-1464 Hanc sancti Magnobodi Vitam ab anonymo conscriptam, alteri a Marbodo compositæ præmittendum duximus. tum ne hoc antiquitatis monumentum studioso deperiret lectori, tum quia de hac idem fecit Marbodus quod de Vita proluxiori sancti Licinii fecerat, dum ad ejus instar et ipsam proluxiorem contraxit, ut ad meliorem formam redegit. Hanc autem hic potius inserendam censuimus quam Vitam sancti Licinii priorem, quia hæc ab anonymo conscripta, et e duobus manuscriptis veteribus eruta apud Bollandum præcessit immediate Vitam a Marbodo concinnatam, ad quam proinde lector potest, si libuerit, recurrere: hæc autem nullibi quod sciam reperitur. Prodit autem e schedis Mabillonianis.

VITA SANCTI MAGNOBODI CONFESSORIS

AUCTORE ANONYMO.

§ I. Gloriosus igitur atque eximius Christi pontifex Magnobodus ex pago Andegavensi divinis antecedentibus iudiciis nobiliter editus magnis miraculorum fulsit privilegiis, qui antequam valetudine corporis et loquendi peritia fungeretur, admiranda in eo collata sunt cælitus virtutum charismata, ut testantur ejus ubique recolenda præconia. Parentes ejus secundum humanæ propaginis genealogiam admodum spectabiles inter concives non mediocre obtinebant dignitatis locum, sub jure Lotharii filii Chilperici consistentes, qui cum consanguineis suis Theoderico scilicet et Theodeberto adhuc intra adolescentiæ annos constitutus exortis undique grandinum simultatibus [aut f. simultatum grandinibus] litem exercebat. Puerperio ergo suo. Christo auspice, prædicti genitores admodum gratulabundi de natalis ejus variis, sed non medicis lætati sunt portentis. Nam, sicut solerti indagine compertum habemus, exordium natalis ejus in ipsa Epiphaniarum die recens existit,

C qua auctor vitæ fecunda et intemerata gentis Virgine a gentibus stella præduce voluit adorari, ac honorari munerum cultibus, nec non Jordanicis ablui lavacris, ac lymphæ liquorem convertere in vini saporem, et in ipso concentu galliciani quo dieculæ prænuntiari non ambigitur igniculus, materiam mundo sanctam edidit alvus, ut patenter demonstraretur lucis eum futurum amatorem et præconem, qui talibus iudiciis suam decorabat nascente natalem.

§ II. De procella fluctus divinitus sedata.

Itaque cum pro diluendis originalibus peccaminum contagiis prædicti parentes ad regenerationis lavacrum deferre studerent pervium, quod eundi ad basilicam copiam ministrabat, arctatus Ligeris fluminis dirimebat, qui dum navali adminiculo metu jam dicti anni transire vellent, repente exorta tempestas totam peno salutis suæ ademit virtutem. Insurgunt procellarum nimbi, ac immensus vortex pelagi cymbam elidere minatur. Alliduntur remi,